

vnā adhuc vnitatē in 15. ac proinde, si addatur
i. ad 14. duplum radicis 7. & hoc aggregatum
ad 49. fieri quadratum numerum 64. proximè
maiores, quàm 49. cuius radix est 7. Si igi-
tur proponat quis numerum 63. vt eius radix
quadrata eruatur, reperietur radix 7. super-
eruntque 14. quæ radicis sunt dupla: Si vero
quis proponeret numerum 64. inuenireturq;
radix 7. erratum esset, quia superessent 15. quæ
maiores sunt, quàm duplum radicis 7. Quare
radix numeri 64. erit 8.

APPROPINQVATIO RADICVM IN
numeris non quadratis.

CAPVT XXVII.

QVoniam cum numerus propositus non
est quadratus, inuenta radix in se mul-
tiplicata producit numerum minorem
numero ipso, quemadmodum in posteriori
exemplo patuit, vbi radix in se multiplicata
gignit numerum, qui à numero proposito su-
peratur toto hoc numero 26628. monstra-
bimus hoc loco duplicem viam, qua radix
propinquior inueniatur, ita vt eius numerus
quadratus à proposito numero non quadrato
insensibili fere differentia distet. Vera enim
radix numero exprimi non potest, sed solum
per lineam, vt in pleniore nostra Arith-
metica demonstrabitur. Priori via reperie-
tur radix propinquior quidem in infinitum,
sed tamē minor, quam vera; adeo vt eius qua-
dratus numerus semper à numero proposito
superetur. Posteriori via inuenietur radix